
C
II

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

Morbis ab ÆTATUM mutationibus oriundis:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex auctoritate Reverendi admodum viri

GULIELMI WISHART, S.T.D.

ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu*,

et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *decreto*;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GILBERTUS STEWART, SCOTO-BRITANNUS.

Pridie Idus Martii 1753, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud HAMILTON, BALFOUR, et NEILL;
M,DCC,LIII.

VIRIS DOCTISSIMIS

D. DAVIDI ROSS,
D. AMBROSIO DAWSON,
D. JOANNI-THOMAE BATT,
D. JOANNI CLEPHANE,
M. D. D.

Noſocomii ſancti GEORGII apud Londinenſes Medicis ordinariis, erga aegros, provida ſua cura atque humanitate, inſigniter conſpicuis;

Tantaeque erga diſcipulos ſuos urbanitatis, et in ſcrupulis eorum enodandis diligentiae;

UT APUD EOS,

In medicinae praxi proficiendi egregiae nunquam non praebeantur occaſiones, quibus ad praeſtantiora artis myſteria prompte perveniatur:

Comitatis ac beneficentiae cauſa, qua, ſeipſum ſub eorum auſpiciis haerentem proſequi dignati ſunt,

Theſes haſce medicas, ſtudiorum ſuorum primitias, obſervantiae ſuae gratique animi monumentum,

D. D. C. Q.

GILBERTUS STEWART.

HAEC inteſtina illa calamitas, quam nulla ars, nulla humana induſtria effugere, ſed ne reprimere quidem poteſt. Etenim ſi cui ab ortu temperato vel AESCULAPIUS *praeſit, qui illum, ab iis, quae foris ſunt, aut quae intro ſumuntur cauſis, ſalvum et incolumem ſic tueatur, ut nullum inde corpus detrimentum capiat; is tamen a ſemetipſo ſuaque ſponte magis magisque conficietur conſumeturque, donec tandem extremum ſpiritum edat. Illuc dum contendit, plurimas, hoc interim ſpatio, mutationes neceſſario ſuſtinet. Has qui annorum ſpatiis et intervallis dimenſi primum diſcreverunt ſimul aetates appellarunt, ut ſit aetas id vitae curriculum quo luculenter corporis conſtitutio per ſe ſuoque nutu mutatur.*

VERULAMIUS

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

Morbis ab ÆTATUM mutationibus oriundis.

DOCENT anatome et physiologia corpus humanum ex firmis et liquidis, ita artificiose fabrefactis, et inter se unitis, constare, ut, ex mutuis in se invicem actionibus et reactionibus rite peractis et bene absolutis, vita sanitasque pendeant. Probari facillime potest solida et fluida haec in variis aetatibus diversas inter se habere proportiones, quae non solum vires corporis, et ejus ad morbos proclivitatem, sed etiam facultates mentis, mutant et variant. Corporis hanc, ad morbos suscipiendos et abigendos, dispositionem divinus HIPPOCRATES * medicinae parens olim observavit; et morbos ad quos diversae hominum aetates procliviores sunt, methodo compendiosa sibi propria, accuratissime descripsit. Et quamvis haec corporis conditio, a singulis medicinae peritis, in praxi observata fuerit, nullus tamen

A tractatus

* Sect. 3. aphor. circafinem.

tractatus, mihi ſaltem cognitus, adhuc prodiit, qui thema hoc, cauſas nempe in corpore praeexiſtentes, quae morbos hoſce, pro aetatis periodo, inducant, ſibi propoſuit. Argumentum hoc, pro momento ſuo tractatum, ingentem in molem excurreret; me autem, pro ingenioli noſtri modulo, id levius tantum perſtringere animus fert.

In hoc pertractando, ut ordine procedamus, vitam humanam in varias aetatum periodos, *pueritiam* ſcilicet, *juventutem*, *aetatem adultam*, et *ſenectutem*, diſtinguere neceſſarium duximus. In terminis hiſce periodis conſtituendis, inter auctores multum diſceptatur; et finis quidem unius cum principio ſequentis ita coincidit, ut nullus ſit revera limes; idealem tamen hanc vitae diviſionem, ad regionem, et naturae in Britannia noſtra leges, accommodare conabimur.

Pueritia ab ipſo ortu exordiatur (faetum enim ex induſtria intactum relinquere lubet), et circiter decimum quartum aetatis annum, ſeu pubertatem, terminet. Pueritiam ſequatur juventus, quae ad trigeſimum circiter annum duret: nam quamvis corpus noſtrum proceritatem ſuam, ante iſtud tempus acquiſiverit,

verit, tamen craſſitudo ejus carnoſa ad periodum iſtam incrementum recipit; et ad hanc aetatem cum quis pervenerit, perfectus et maturus exiſtimatur. Ætas adulta, quae huic ſuccedit, ad annum circiter quinquageſimum excurrat; nam quamvis homines ſobrii tum non ſeneſcant, intemperati tamen multo citius ſenectute gravati ſunt. Ætate hac abſoluta, intervenit ſenectus cui nullos limites ponimus, et uſque ad mortem ſenilem, quae ex ipſa corporis fabrica, vitae finem imponit, extendatur.

Quum omnes morbi quibus corpus humanum obnoxium eſt, vel ſolida, vel fluida, vel utraque ſimul afficiunt; hinc neceſſarium erit, quaedam de corporis habitu in unaquaque periodo breviter praemittere, priuſquam ad morbos ſingulis proprios explicandos veniamus. Demonſtrant microſcopia et injectiones, hominem, quo origini ſuae propiorem, eo plus ex fibris ſimplicibus, membranis et vaſis conſtare, quae mollia et flexibilia ſunt, et magnae copiae fluidorum vivido et vegeto corde pulſorum, facile cedunt. Haec eſſe coporis incremento neceſſaria exinde conſtat, quod cor parietes vaſorum iſtorum innumerabilium ad longitudinem producere annititur, et vaſa iſta,

quamvis

quamvis naturâ mollia, ita tamen intorta et convoluta ſunt, ut reſiſtentiam requiſitam cordi ſanguinem projicienti creent; unde omnes partes elongantur, et particulae aptae ſoveas et interſtitia vi vitae facta ita implent, ut plus incrementi, quam damni, recipiat corpus infantis; et ſic incrementum fit. Iſtae corporis conditiones quae ad ſubitum incrementum neceſſariae ſunt, in tenellâ aetate magis valent; tunc enim corporis incrementum celerius procedit: ſed ex ipſa iſta actione plurima vaſa eliduntur et ſolida evadunt, et fluidorum ratio ad ſolida, et vis cordis comparativa, reſpectu reſiſtentiarum, indies minuuntur; adeo ut quo adultius eſt animal, incrementum lentius procedat. Nam quamvis ſolida motu ſuo naturali ſyſtaltico ad incrementum egregie conducunt, eorum tamen motus violentus diaſtalticus huic, in ratione quantitatis materiae auctae, ſemper reſiſtit; et ſic ad pubertatis gradum corpus ſenſim attingit.

In homine, encephalon et ejus producta, medulla ſpinalis et nervi, majorem ad reliquas partes habent proportionem, quo origini ſuae propior eſt: cerebrum minus firmum eſt, et nervi molliores, adeoque irritabiliores ſunt; exinde

inde, a leviſſimis cauſis, infantes violentis et ſpaſmodicis nervorum morbis obnoxii ſunt.

Ad corporis incrementum, ut ſupra dictum, neceſſe eſt vim fluidorum e corde contrahente projectorum, robur et renitentiam ſolidorum exſuperare, et hoc in aetate teneriori magis patet; unde omnes morbi, qui a nimia copia et impetu fluidorum proveniunt, infantibus maxime familiares ſunt.

Ad incrementum, etiam ſupra notavimus, neceſſarium eſſe ut ſolida debilia laxa et diſtenſibilia ſint; alimentorum autem digeſtionem et ſanguinis confectionem, a vi vaſorum et viſcerum, praecipue pendere, ex phyſiologia patet. In infantibus igitur, alimentorum cruditates, ſanguinis morboſa diatheſis, et omnia quae exinde ſequi poſſunt, expectanda ſunt.

Morbi igitur ad quos pueritia proclivior eſt, a tribus cauſis deducendi ſunt.

1mo, Ab ingenti et facili ſyſtematis nervoſi mobilitate.

2do, A magno cordis robore et fluidorum ingenti copia et impetu.

3tio, A debili et laxa compage ſolidorum, et eorum exinde actione debilitata.

In producendis infantûm morbis, hae tres cauſae ſimul agunt et conſpirant; ſed, ut ordinem ſequamur, hi morbi, qui ab una harum cauſarum magis immediate, quam ab alia proveniri videntur, ſub ſuo titulo tractandi ſunt. Et quoniam morbi quibus infantes recens nati infeſtantur, a debilibus ſolidis originem ducunt, ab hiſce incipiendum eſt.

Quamprimum infans naſcitur, moleſtiam et dolorem, a viſcido quodam craſſamento, totum canalem alimentarium occupante, quod ex fluidis in foetu viſcidis et aquoſis gignitur, pati incipit. Infantis quippe ſolida naturâ debilia ſunt, et fluidorum proprietates ab actione ſolidorum rite peractâ pendent: iſta vero quodammodo languente, fluida viſcidum lentorem contrahunt. Exhalantes arteriae, in tubi alimentarii cavitatem, lympham quandam variis uſibus aptam, nunquam non diſtillant, quae, ſi a venis inhalantibus non abſorbeatur, quod in tali corporis ſtatu uſu venit, ſenſim accumulabitur, et ſtagnando quandam ſuſcipiet acrimoniam, quae, irritando paris octavi et intercoſta-

lis

lis ramos, hiſce partibus impenſos, in ſtomacho nauſeam et vomitum, in inteſtinis vero ſpaſmos et tormina ventris, et tandem per totum corpus convulſiones, &c. excitabit. Si craſſamentum iſtud ductum communem choledochum obturet, icterum, infantibus recens natis tam familiarem, inſequi neceſſe eſt. Craſſamentum iſtud ejuſque ſequelae, purgante quodam apto tolluntur.

Si langueſcant infantum vires expultrices, oritur retentio meconii, quod, ſi diutius in inteſtinis remanſerit, acre evadet, et, in genere nervoſo adeo mobili, plurima ſymptomata, tam idiopathica quam ſympathica, generabit, purgantibus et enematibus aptis ſedanda.

Lac, quod infanti alimentum praebet, eſt naturâ aceſcens; et, quoniam ingeſta in debili et tenero ventriculo in alienam abeant indolem, non mirandum eſt, ſi infantes, quorum vaſa et viſcera adeo debilia ſunt, tot et tanta mala ex ſpontaneis lactis coagulis patiantur. Adeo varia ſunt ſymptomata, et morbi qui lactis corruptelam ſequi ſolent ut clariſſimus Harris *, omnes infantum morbos ab hac fere origine

* De morb. infant.

rigine deducendos eſſe, ſtatuere non dubitaverit. Medicus vero, cui generis nervoſi mobilitas, magna fluidorum copia, et laxus ſolidorum tonus, ſatis innoteſcunt, quot et quanta mala funeſta inde ſecutura, niſi medela iſti vitio cito adhibeatur, facile praevidebit. Pulveres teſtacei, qui coagulum iſtud rapiunt et raptum tenent, hic imprimis exhibendi; deinde rheum, quod, illud foras eliminando, ſimulque ventriculum et inteſtina corroborando, morbi reditum praecavebit, adminiſtrandum eſt.

Circa ſeptimum menſem dentes infantibus prodire incipiunt, et, ut varia et funeſta ſymptomata, quae illis per hoc tempus evenire ſolent, rite intelligantur, ad ſtructuram gingivarum peculiarem et nervoſam, et ad dentium duritatem et ſcabritiem attendere oportet. Dum prorumpunt dentes, ſtimulo ſuo pruritum, et dolorem fere intolerabilem, in ipſis gingivis excitant, et, per nervorum ſympathiam, plurimae imo remotae corporis partes variis divexantur malis: in ore ſcilicet, copioſo ſalivae fluxu, ex oculis lymphae ſtillicidio, et in faucibus glandularum ſalivalium tumoribus, in ventriculo nauſea et vomitu, in inteſtinis

alvi

alvi profluvio, et in toto corpore convulſionibus et febribus: quae omnia, ex ingenti humorum aquoſorum copia, mobilique ſyſtemate nervoſo ex gingivis irritatis in conſenſum deducto, oriuntur. Symptomata haec, obſervavit olim HIPPOCRATES *, eſſe violentiora dum erumpebant dentes canini. Quoniam tam varia et diverſa mala a gingivis primario affectis emanant, hae medicamentis aptis fovendae ſunt; ita ut molles, tenerae, et flexibiles, et dentibus facile penetrandae fiant.

INFANTES unum annum nati victu ex vegetabili regno deſumpto veſcuntur, et tum vermibus laborare incipiunt; nam, cum hujus generis alimento, ingeruntur inſectorum ova, quae, in nido adeo calido, viſcidâ pituitâ in primis viis a bile inerti, farinaceo victu et fructibus immaturis oriunda, foventur et nutriuntur. Vermes in infantibus, ad laxum corporis habitum, et debilem inteſtinorum vim expultricem, quae, ingenti muci collectioni, ut nido apto ad hanc prolem verminoſam fovendam, originem dant, referri poſſunt. Morbi ſymptomatici, quales vertigo, febres, et convulſiones, ab irritabilitate ſyſtematis nervoſi

* Sect. 3. aphor.

voſi in conſenſum deducti, ex inteſtinis a vermibus punctis et vellicatis, intelligendi ſunt. Curatio circa ſequentia verſari videtur: 1mo, In necandis vermibus: 2do, In ovis et novo pabulo evitandis: 3to, In ventriculo et inteſtinis roborandis; adeoque totum corpus pedetentim firmando.

Altera morborum, in infantibus, magna origo hinc eſt, quod fluidorum vis et copia e vegeto corde actorum, robur et renitentiam ſolidorum longe exſuperant. Tota in illis morborum caterva, quos exanthemata et efflorefcentiae comitantur, ab hac cauſa deduci queunt. In his primo enumcrandac veniunt aphthae, quae ſunt ulcuſcula in vaſis exhalantibus oris et faucium, a ſpiſſo viſcidoque humore, iſta extrema vaſa obturante, nata, varioſque colores, ratione temporis, copiae et acrimoniae humoris obſtruentis, induentia. Hae infantibus dentientibus magis ſunt familiares, quod oris vaſa extrema ex dolore gingivarum ſpaſmodice conſtringuntur; ita ut obſtructio ex vaſorum vitio naſcatur. Aphthas, febris et plurima alia ſymptomata gravia, non ſine V. S. emeticis, purgantibus et gargariſmatis tempcſtive adhibitis tollenda, comitantur.

tur.

tur. Tam varia et numerosa sunt exanthemata, cutem infantum faedantia, ut singula sigillatim expendere non sinat instituti nostri ratio; sed horum principia generalia tradere conabimur.

QUUM turgescunt liquida, et praesertim si particulis acribus impraegnantur, hanc aut illam corporis partem, sub variis formis, invadunt; prout vasorum, in his partibus, capacitates, talibus particulis transmittendis aut infigendis, adaptantur. Cutis minutissimis vasis instruitur, quae longe a corde distant; ideoque humorum circuitus in his tardus esse debet: firmam etiam habet texturam, et vicissitudinibus aeris nunquam non exponitur. Ex hac igitur cutis structura et situ, hisce particulis infigendis aptior fit quam partes corporis internae, quae balneo quasi foventur atque aëris actione immunes sunt; et sic horum vasa eandem retinent diametrum, et sanguinis circuitus in his expeditus est, nisi quum fluida magnâ copiâ particularum morbidarum turgent.

HUMIDITATES pone aures, tinea capitis, et varii morbi eruptionibus stipati, qui per totum

pueritiae

pueritiae decurſum, cutem a capite ad calcem foedant, ex doctrina tradita, intelligi poſſunt. Ad hos igitur curandos, egregii SYDENHAMI obſervatio maxime ſpectare videtur, morbos ſcilicet nihil aliud eſſe niſi conamen naturae materiae morbificae exterminationem molientis. Hinc cavendum eſt, ne ex medicamentis topicis eruptiones iſtae in interiora repercutiantur, quod ſaepenumero graviſſimorum, imo lethalium, morborum origo eſt. Medicamenta hic apta talia ſunt * quae aliquantum humorum copiam minuunt, unde infantes adeo bene leniſſima imprimis ex rhabarbaro purgantia ferunt. Proſunt plerumque et illa quae acidae acrimoniae temperandae conducunt, ut abſorbentes, ex lapidibus cancrorum, &c. pulviſculi. Deinde quae nimis facilem irritabilitatem generis nervoſi aliquantum compeſcunt, et ſimul ſolidas partes moderate roborant; hinc rhabarbarum cum lapidibus cancrorum et pauxillo cinnamomi, adeo prodeſt.

HIC praetereundum non eſt, pueritiam eſſe periodum morbis epidemicis eruptionibus ſtipatis minus periculoſam, quales ſunt variolae, et

* Van Swiet.

et morbilli, &c. quod vaſa tunc libera et expedita ſunt, et laxa ſolida morbi impetui facile cedunt; unde haec eſt, variolarum per inſitionem propagationi, periodus aptiſſima.

MORBI ſupra memorati, et multi alii brevitatis cauſâ hic praetermiſſi, juniores, ante decimum annum, oppugnare ſolent; poſt hunc, vero, uſque ad decimum quartum aetatis annum, eorum plurimi, et praeterea, febres diuturnae, ſe produnt; quae omnia, ex doctrina tradita, intelligantur. Unicus eſt morbus hic commemorandus, Rachitis ſcilicet, ad quem infantes non ſunt natura proclives, ſed a malo inſtituto vitae regimine facillime inducitur.

QUUM, ex quacunque cauſa, ſolida ita debilitantur, ut functiones ſuas rite peragere non queant, diſpoſitio rhachitica in infantibus naſcitur, quae debetur viribus ſolidorum labefactatis, et fluidis craſi ſua orbatis nimiumque aquoſis redditis. Quamvis hujus morbi ſymptomata plurima ſint, hiſce tamen duobus principiis corpori inductis ex antecedentibus morbi cauſis, ratione tantum habita diverſae et tenerae partium affectarum fabricae, facile explicari

plicari queunt. Curatio, igitur, ſuſcipienda eſt. 1mo, Omnes antecedentes morbi cauſas evitando. 2do, Aptumque vitae regimen inſtituendo. 3tio, Denique, in uſu medicamentorum roborantium cum propriis cautelis uſurpandorum, per aliquod tempus, perſiſtendo.

QUAEDAM hic de cauſis, cur morborum haereditariorum, ſcrofulae ſcilicet, ſpinae ventoſae, &c. infantes luant paenas, addere non incongruum erit. Spina ventoſa et ſcrofula in infantibus ſaepiſſime obſervanda veniunt; quod, in tali corporis ſtatu, ſolidorum compages natura debilis ſit, et fluida, acrimonia quadam, vitio parentum aut aliter inducta, inficiantur. Notandum eſt etiam, ad morbos iſtos inducendos, habitum coporis magis debilitatum eſſe debere, quam in vegeto infantum copore ſolet. Symptomata quibus hi morbi ſe oſtendunt plurima ſunt; in ſpina nempe ventoſa, liquida ſunt aquoſa et acrimoniâ imbuta, et medulla, quae a ſanguine ſecernitur, ejuſdem eſt generis: ſi igitur obſtructio aliqua, vel abſorbendi defectus, hanc in oſſibus ſtagnare faciat, ſenſibiles membranas ſenſim erodit, quod moleſtiam et dolorem lancinantem creet. Aucta dein hujus liquoris ſtagnantis quantitas, parietes

oſſium

ossium solidos emollit et distendit, absorpta vero febrem hecticam accendit, quae aegrum sensim emaciando finem vitae imponit. Nonnunquam etiam accidit, convulsiones ex materia resorpta, aut ex magna partis affectae irritatione induci, quibus aegrotantis vita citius ad terminum perducitur. Scrofula idem fere morbus est in glandulis, ac in ossibus spina ventosa, ratione tantum diversae partium affectarum fabricae habita. In utraque curatio ardua est et difficilis, sed in genere absolvenda, debilitatam solidorum compagem roborando, et acrimoniam fluidorum, si modo possit, corrigendo. Proxime veniunt pertractandi juventutis morbi, de quibus breviter dicemus.

Hippocrates, non solum aetatum in morbis generandis vim, sed et horum in iis curandis potestatem, olim observavit; et singulas periodos, quibus infantum morbi judicantur, speciatim annotavit. Ista ad morbos corporis dispositio, a mutationibus, quas in variis aetatibus patitur, ortum habet, quae nihil est, nisi solidorum et fluidorum ad se invicem variata proportio. Unde, juventutem ad morbos pueritiae vix esse proclivem, sed malorum classem sibi propriam habere, compertum est. At-

que

que hic praetereundum non eſt HIPPOCRATIS in loco citato effatum; quae vero, inquit, affectiones pueris permanſerint, neque ſolutae fuerint circa pubertatem, aut feminis circa menſtruorum eruptiones, perſeverare ſolent. Cujus obſervati ratio haec eſſe videtur, quod horum morborum cauſa, vel nobis connata, vel poſtea contracta, adeo in ipſa corporis fabrica et habitu radices infixerit, ut vi vitae mutari non poſſit. Priuſquam morbos, ad quos juventus eſt proclivior, explicare aggrediamur, de corporis per illam periodum habitu pauca praemittenda ſunt.

CORPUS humanum machinam quandam perpetuam refert, cujus fabrica et ſtructura, ex actionibus ſuis repetitis, indies mutationes patiuntur. Plurima enim vaſa nunquam non evaneſcentia et ſolida fiunt, prout cordis, arteriarum et muſculorum preſſio, in varias corporis partes, plus minuſve agit. Sic ſolidorum robur, eorumque ratio ad fluida perpetuò augentur, et actioni cordis majorem, quam in pueritia, faciunt renitentiam. Creſcentibus vero ſolidorum ratione et robore, eorum actio eadem ratione augetur; exinde ſanguis magis compingitur et condenſatur, atque, dum partes aquoſae diſſipantur, humorum ratio ad ſolida aliquantum

aliquantum minuitur. Moles igitur ſolidorum indies, quamvis lentius, creſcere pergit, donec corpus ad ακμην ſuam perveniat, quando perfectum adeſt equilibrium intra vires cordis et vaſorum renitentiam.

Cerebrum vero, et ejus producta, medulla ſcilicet ſpinalis et nervi, quae haud pari ratione cum caeteris corporis partibus creſcunt, firmiora fiunt, et ſic minus irritabilia. In juventute igitur, nervorum morbi minus frequentes ſunt; iſti vero qui ab auctis ſolidorum motibus et actionibus proveniunt, ſaepius occurrunt: cordis enim et arteriarum vis contractilis, ſolidorum reſiſtentiam adhuc exſuperat; unde morbos ab hac cauſa oriundos non raro videre licet. Juventutis morborum cauſae, ad duas ſequentes, revocari queunt:

1mo, Ad auctum ſolidorum robur et rationem ad fluida, et exinde motum fortiorem:

2do, Ad vim cordis et arteriarum majorum contractilem, ſolidorum robur et reſiſtentiam adhuc exſuperantem.

Dum ſanguis e corde pulſus, indies vaſa minora corporis explicat et evolvit; tandem etiam vaſa, ad partes generationi dicatas diſtri-

buta, ita extendit et dilatat, ut functionibus suis perficiendis apta evadant. In pueris et puellis, vasa testium et uteri tantum humores tenuiores aquosos transmittunt, et quidem parva admodum copia; vi autem fluidorum e corde continùo pulsorum indies auctâ, circa pubertatis tempus, vasa testium in juvenibus semen praeparare incipiunt; vasa meatusque uterini in femellis, sanguinem rubrum intra cavitatem matricis dimittunt. In foeminis vasa ista laxiora et debiliora sunt, quam vasa testium in viris; eamque ob causam, illae citius ad pubertatem perveniunt.

Morbi in masculis, ex semine oriundi, pauci sunt; aliquando contingunt autem testiculorum tumores, et varicosae inflationes vasorum seminalium, leni frictione, supra vapores accensi succini, simulque purganti levi dato, facile curabiles. At morbi in femellis, qui mensium eruptionem praecedunt, comitantur, et insequuntur, varii sunt; nam si cor vasa uterina dilatare non possit, aut si vasa ista nimis contracta vel rigida sint, naturae, ad evacuationem istam salutarem promovendam, conatus frustratur. Et ut nonnihil sanguinis obstructi, perpetuo absorbetur, qui circuitum cum

communi

communi maſſa peragit, partes quaſdam ſibi ipſi aſſimilat; ita ut tandem tota maſſa viſcida iſta et inerti diſpoſitione inficiatur. Toto ſyſtemate vaſculoſo nimium turgido facto, et propter evacuationis propoſitae, et circulationis in vaſis uterinis defectum, horum tonus ſenſim amittitur; donec tota ſolida laxiora, et exinde fluida minus denſa et compacta fiant, aut in aquoſiorem naturam degenerant. Ex his accurate perpenſis, tota chloroſeos ſymptomata explicari queunt. Si porro ad principium iſtud, quo fibrae animales ad attactum ſtimuli ſe contrahant, attendamus, intellectu erit facile cur morbus hyſtericus, in tali corporis ſtatu, evenire ſoleat. In chloroſi indicationes curatoriae hae ſunt; 1mo, Ne quis novus morbo fomes addatur: 2do, Ut depravata fluidorum diſpoſitio et ſolidorum robur corrigantur: 3tio, Denique, ut fluxus menſtruus promoveatur.

Superatis autem pubertatis annis, corporeque ad ακμην properante, major vigor majuſque robur accedit partibus ſolidis, quae tum in fluida contenta, inde denſiora facta, et ad lentorem diſpoſita, intenſius agunt; appetitu vero bono manente, magna exinde ſanguinis copia

praeparata,

praeparata, plethoram inducit. Sanguis iſte, in femellis, per uterinas vias excernitur; in maſculis autem, nulla tali inſigni periodica evacuatione exiſtente, per nares ſaepe, vaſis membranae pituitariae exhalantibus dilatatis, expurgatur. Cerebri arteriae, ex ſitu ſuo et capacitatibus, multum ſanguinis huic tribuunt; encephalo vero ſemper pleno exiſtente, et rigido et renitenti cranio coercito, hinc fit ut, ſi quis ſit in capite tumultus, ejus fert impetum cerebrum ipſum. Unde in adoleſcentibus dolores et exaeſtuationes capitis, aurium tinnitus, et oculorum dolores; imo interdum epilepſiae, aetatem hanc graviter infeſtare ſolent. Plethorae etiam iſtius impetum nonnunquam ſuſtinent pulmones, quorum fabrica mollis eſt et delicata, et ut tota ſanguinis maſſa per hos, eodem temporis ſpatio quo per totum corpus, iter abſolvit; inde ſanguinis maſſa, velocitate longe majori in pulmonibus, circuitum facit. His igitur perpenſis, mirandum non eſt, ſi in hac aetate accidat haemoptyſis, medicamentis antiphlogiſticis prudenter tractanda. Si tali modo medelam non capit, obſtructio et inflammatio in pulmone non raro producuntur, quae tandem in ſuppurationem abeunt, materiâ ul-

ceris

ceris denique in ſanguinem reſorptâ; tabes purulenta exinde inducta, aegrum ſenſim emaciando, vitae filum celeriter abrumpit. Hic vero morbus cum regioni noſtrae propemodum popularis ſit, ut apud exteros Britannicus fere audiat; proinde ejus cauſa et curatio, apud noſtrates, attente perpendenda venit. Juventutis morborum curatio generalis ſuſpicienda eſt; 1mo, Sanguinis impetum minuendo: 2do, Lentorem ejus diſſolvendo: 3tio, Noxium omne eliminando. Morbi ſupra nominati praecipui ſunt, ad quos juventus, ex corporis fabrica, proclivior eſt; caeteri hic praetermiſſi, ex hactenus dictis, facile explicare poſſunt. Ad aetatis adultae morbos jam progrediendum eſt.

Quum ubique in corpore, ejus incremento jam perfecto, ſolida tale robur et renitentiam vi vitae acquiſiverint, ut ſe ulterius extendi non patiantur, aetas dicitur adulta, ſeu virilis. Tum verò perfectum, inter vires diſtendentes et vires reſiſtentes, oritur aequilibrium, ambo nempe maximum vigorem tum adeptae ſunt. Unde ſanguis, cujus dotes et proprietates, a viribus cordis et arteriarum, hac in aetatis periodo, magnopere auctis, pendent, denſus, com-

pactus

pactus et elaboratus esse debet. Qui igitur dotes sanguinis tali modo inductas accuratè perpenderit, proclivitatem ad morbos acutos inde oriundam, facile praevidebit.

Quum ergo humores, diathesi phlogistica imbuti, validissimo cordis impetu projecti, in hanc aut istam corporis partem impingant, ibi mala diversa, diversis nominibus insignita, prout hujus aut istius partis actio laeditur, producunt. Si igitur humores isti, ex quacunque antecedenti causa, in pulmones ruant, peripneumoniae, si in latera pleuritides, si in cerebrum apoplexiae, maniae, epilepsiae, &c. si in ejus membranis cephalalgiae et phrenitides, oboriuntur. Febres ardentes etiam observandae veniunt. Hoc ipso temporis spatio, haemorrhoides se produnt, quoniam, incremento desinente, plethora saepe nascitur; adeoque in dispositis superfluus humor per haemorrhoidalia vasa dimittitur, quo non rite absoluto, varia inde incommoda fluunt, moliminum haemorrhoidalium nomine passim nota.

In omnibus morbis acutis violentioribus magnus adest calor, ingensque partium liquidiorum

rum fit diſſipatio, reliquae vero inſpiſſantur, et totum corpus exſuccum et aridum fit, humoreſque in putredinem vergunt. Ad nimium igitur calorem ſedandum pro re nata celebretur V. S. ad partes tenuiores difflatas ſupplendas, et ne reliquae inſpiſſentur, magna diluentium et attenuantium copia ingerenda eſt; ad humorum putredinem arcendam profunt imprimis aceſcentia, acida et ſales neutri.

Circa annum quadrageſimum ſextum aut octavum, in ſexu teneriori uterina vaſa tam contracta et rigida fiunt, ut, vi cordis et arteriarum, ulterius dilatari nequeant; unde non amplius menſium fluxus, quo deſinente, plurima nonnunquam mala, plurimas corporis partes, praeſertim mammas, occupare ſolent. Paucula haec de aetatis adultae morbis ſufficiant; de ſenectutis morbis et fato ſenili, pauca dicenda reſtant.

Corpus noſtrum, quicquid contra ſomniârunt chemici nonnulli, minime ſtabile eſt, nec in aeva durare poteſt; nam, continua ſolidorum et fluidorum actione in ſe invicem, mutationes inſignes patitur, et indies, licet lento gradu, ad terminum properat. Vaſa minima, cordis

cordis, arteriarum et musculorum actioni, perpetuo obnoxia sunt; quae exinde coalescendo, in fibras solidas paulatim transeunt. Vasa autem majora, quae corpus constituunt, ex minoribus istis conflata, similes, quamvis lentius, subeunt mutationes. Hinc ista vulgo nota rigiditas, omnibus senum partibus sensim inducitur, quae, quo magis in senectutem vergunt, eo magis magisque augetur, donec tandem morte senili placide quiescant; de qua CICERO ait, " omnium aetatum certus est termi-" nus, senectutis autem nullus est certus ter-" minus."

Ex hac partium rigiditate sensim aucta, cutis sicca et arida evadit; ejusque tubuli perspiratorii exinde angustantur, ita ut perspiratio multum minuatur. Angustatis autem et siccatis in senili corpore cutis spiraculorum osculis, humida recrementa, quae per eadem eliminari debent, ad alia corporis excernicula refluant, ibidemque collecta, varia mala excitant. Solidorum rigiditate copiaque exauctis, tonum suum et elasticitatem perdunt; unde non solum horum motus systalticus multum minuitur, sed majorem cordi resistentiam praebent; exinde sanguis non rite conficitur et e-

laboratur

laboratur, ſed craſi ſua orbatus, in alienam prorſus abit indolem. Sanguine ſic vitiato, ſpiritus animales, qui exinde ſecernuntur, impuri et actionibus ſuis peragendis inepti fiunt: hinc torpent et languent omnes corporis actiones, ſive ſint vitales, animales, aut naturales. Fracto ſic ſolidorum tono, fluidiſque ita vitiatis, ſenſibilitas omnium corporis partium multum hebeſcit; cumque plurimae, et quidem primariae corporis noſtri actiones a partium ſenſilitate pendeant *, exinde mirandum non eſt, ſi iſtae eadem ratione laeduntur, qua ſentiendi iſta facultas obtunditur. Senum igitur morbi ad tres ſequentes cauſas referri poſſunt:

1mo, Ad diminutam et fractam ſolidorum actionem, et fluidorum craſin exinde depravatam:

2do, Ad materiem perſpirabilem in corpus detentam:

3tio, Ad nervorum et fibrarum ſenſilitatem imminutam.

In morbis ſenum generandis, hae tres praedictae cauſae ita ſimul conſpirant et agunt, ut difficile admodum ſit, illos ſub alicujus harum cauſarum titulo ſigillatim expendere; unde de

D illis

* Vid. Dr. Whytt's eſſay on the vital and other involuntary motions of animals.

illis tantum generatim dicendum. Quum vero, hac in aetatis periodo, vaſa excretoria undique in corpore multum anguſtentur, ac penitus quaſi deleantur ; quum etiam cordis et arteriarum vis multum imminuatur ; ſanguis ſe depurare non poteſt ; ſed particulae acres terreſtres intus detinentur, quae varia mala excitant, prout hanc aut iſtam corporis partem, adoriuntur. Si autem frigidus et impurus iſte ſanguis in caput delatus ſit, omnibus fere capitis morbis, quales ſunt vertigines, apoplexiae, epilepſiae, omnes ſoporoſi affectus, paralyſis, &c. anſam praebet. Sanguis iſte in thoracem delatus, tuſſes, aſthmata, omniaque inde oriunda mala, excitabit. Si vero hic ſanguis in abdomen impetum faciat, nephritis, haemorrhoides caecae vel nimium fluentes, dyſuria, ſtranguria, veſicae calculus, &c. inde pullulant. Si muſculos et artus obſidet impurior pars ſanguinis, rheumatiſmi, dolor iſchiadicus atque arthritis gignuntur. Ulcera mali moris, ſenes, praeſertim in cruribus, frequenter detinent. Ex humoribus impuris factis et acrimonia ſalina imbutis, ob excretiones minus rite ſuccedentes, cutisque ſpiracula minus pervia reddita, ulcera haec aliique morbi cutanei tum obſervandi oriuntur. In ſummo ſenio ubi

humores

humores vix, ac ne vix quidem defaecantur, periculum ſphaceli a cauſa interna ſenibus imminet. Horum plurimis, aliiſve hic non memoratis, hominem infeſtantibus, corpus ejus marcore ſenili exhauritur. Quum morbi, qui in ſenio obſervandi ſunt, a fibrarum ſiccitate nimia et rigiditate, vaſorum anguſtia, et ſecretionum atque excretionum tardiori progreſſu, pendeant, omnia intemperata, tam in victu, quam in pharmacorum adminiſtratione evitanda, nimis videlicet calida, frigida, acida, ſalſa, tanto magis exſiccantia, adſtringentia et tonum fibrarum minuentia; contra, ea ſalubritatis laudem merito ferunt omnia temperata, ex medicamentis diaphoretica, laxantia, nutrientia ſtomachica, roborantia, ex alimentis quae facile digeruntur, vimque emolliendi, humectandi atque temperandi habent.

Hactenus de morbis ſenectutem comitantibus breviter diximus, proximè, coronidis loco, quaedam proponemus de morte purè ſenili, uti vocatur.

Quamvis corpus humanum, conſilio inſcrutabili exſtructum, neceſſariis vitae actionibus partes ſuas non citius deterit, quam eas iterum

iterum reficiat; tamen talis eſt ejus natura, ut, etiamſi ab omni aegritudine, omnique morbo immune ſervetur, ad mortem neceſſario properet. A perenni partium ſolidarum et fluidorum actione in ſe invicem, et frictione continua inde orta, partes ſolidae denſiores, duriores et rigidiores, ſenſim evadunt, vaſcula tenuiſſima, fluidis olim pervia, tandem in fibras ſolidas mutantur, unde vaſa majora, utpote ex his compoſita, contractiora, fluidiſque magis renitentia fiunt; fluidis autem per vaſa minora non amplius tranſeuntibus, partes ſolidae mole minuuntur, et corpus aridum rugis marceſcit. Imprimis autem cerebrum, in cujus vaſis exiliſſimis parantur ſpiritus, officium ſuum perfunctoriè peragit; hinc ſenibus perit memoria, ſenſus deficiunt, omneſque mentis operationes languent. Haec aliaque ſenectutis ſigna mortiſque purè ſenilis praenuncia, ſequentibus verſibus pulcherrimè ab eminentiſſimo Polignac depinguntur.

AT cum ſit paucos inſtructum corpus ad annos,
Provecta ſenſim labefactum aetate fatiſcit:
Ut rheda, ut veſtis longo corrumpitur uſu;
Et ratis aſſiduè caſus experta marinos.
Denſior it ſanguis, concreſcit vappidus humor,

Dureſcunt

Durescunt fibrae, flaccescunt denique nervi,
Cor titubat, nec jam radiat vitalibus auris
Thesaurus capiti concreditus; ossa rigescunt,
Fit pedibus manibusque tremor, grave pectus anhelat,
Caligant oculi, sonitus malè suscipit auris,
Deficiunt vires, vox aegre faucibus exit,
Albescunt crines, rugatur marcida pellis.
Tunc vitio primae ceu debilitatis hebescit
Machina: fitque senex iterum puer.

Anti-Lucret. lib. V.

Hisce omnibus quotidie in pejus ruentibus, tandem cor callosum utcunque, sed robore multum imminutum, per canales nimis rigidos et resistentes redditos, humores amplius propellere nequit, unde fit quies in corpore fatalis, vitaque longaeva morte placidissima terminatur.

F I N I S.